

nem, » non quia assumpsisset suppositum humanum, sed quia pro eodem accipiebant humanitatem, et hominem in hac parte; atque adeo eodem modo, quo affirmabant humanitatem esse Dominicam, etiam affirmabant hominem esse Dominicum: quia tamen appellatio fundatur in communi modo concipiendi, secundum quem hæretici de ipso supposito hominis intelligebant esse Dominicum, ut ab illis discedamus, optime S. Thomas ait, quod illa propositio: Christus est homo Dominicus, accipienda est sine appellatione, et ideo neganda.

V. Secundo arguitur contra rationem S. Thomæ: Nam id quod est essentialiter tale, potest esse denominative tale; ergo fundamentum rationis S. Thomæ nullum est. Antecedens probatur, quia logici concedunt speciem, quæ essentialiter est species etiam esse speciem dominative; est enim quædam species contenta sub universali, et sicut homo conceptus conceptu communi ad istum hominem, et illum est species ad illos, ita similiter species concepta conceptu communi ad istam speciem, et alteram est species ad illas. Unde sicuti accidit homini quod sit species, quia accidit illi, quod concipiatur conceptu communi, ita similiter accedit speciei, quod sit species, quia accidit illi, quod concipiatur conceptu communi; ergo jam secunda intentio speciei, quæ est essentialiter species, dicitur etiam denominative species; ergo quamvis Christus dicatur Dominus essentialiter, etiam poterit dici Dominicus denominative.

VI. Respondetur esse diversam rationem in secundis intentionibus, atque in primis. Quoniam secundæ intentiones fundantur in operatione intellectus, qui supra eandem rem potest infinitas reflexiones facere

syncategorematicæ. Unde supra ipsam essentiam speciei iterum fundatur naturam speciei, sicuti fundatur illam supra quæcumque aliam naturam specificam. Fundamentum autem rationis S. Thomæ verum habet in primis intentionibus, quæ ab intellectu non pendent.

VII. Tertio arguitur: Deus dicitur bonitas essentialiter, et etiam dicitur bonus, quod videtur esse denominativum a bonitate; ergo potest aliquid denominativum prædicari de Christo, quamvis ratio illa dicatur essentialiter.

VIII. Respondetur, quod nomina transcendentia non sunt proprie denominativa, sed communia ad denominativa, et denominantia; dicuntur enim tam de his, quæ sunt essentialiter talia, quam de his, quæ sunt talia per participationem.

IX. Quarto arguitur: Christus dicitur vere servus Dei, ut patet Isaia XLIX; ergo dicitur Dominicus, quia servus Domini est, et consequenter etiam dicitur Dominicus.

X. Respondetur negando consequentiam, quia servus non dicit de sua ratione formali negationem domini in supposito; idem enim respectu diversorum simul est dominus, atque servus. Unde non mirum, quod idem suppositum ratione diversarum naturarum simpliciter sit servus, et simpliciter sit dominus; Dominicus autem in sua ratione excludit id, quod est Dominus per essentiam. Unde impossibile est, quod ille, qui est Dominus per essentiam, sit simpliciter Dominicus, sed dicitur Dominicus tantum secundum quid, addendo rationem sub qua est Dominicus. Itaque licet tam esse servum, quam esse Dominicum conveniat Christo ratione humanæ naturæ, nihilominus tamen primum prædicatur simpliciter, licet non ponatur expresse in propositione

ratione humanitatis; secundum autem non prædicatur nisi illud additum ponatur expresse in propositione, propter rationem supra assignatam.

XI. Quinto arguitur: Universæ, quæ conveniunt Christo ratione humanitatis conveniunt illi simpliciter, sed Christus Dominus est Dominicus ratione humanitatis, ut concedit D. Augustinus in illo libro in quo retractavit sententiam; ergo est Dominus simpliciter loquendo.

XII. Respondetur quod ea, quæ conveniunt Christo ratione humanitatis, si ex altera parte dicunt negationem suppositi divini, non prædicantur de illo simpliciter, sed cum illo addito in quantum homo, ratione cujus jam non ponitur negatio suppositi divini, ob quam causam in articulo octavo hujus quæstionis dicimus istam propositionem esse falsam simpliciter: Christus est creatura, licet ista sit vera: Christus in quantum homo est creatura.

## ARTICULUS IV.

*Utrum ea, quæ conveniunt Filio hominis, possint prædicari de Filio Dei, et e converso?*

I. Prima conclusio: Ea quæ sunt divinæ naturæ possunt dici de homine tamquam de hypostasi divinæ naturæ; et ea quæ sunt humanæ naturæ, possunt dici de Deo, tamquam de hypostasi humanæ naturæ.

II. Secunda conclusio: Quamvis in Christo non sit distinguendum id de quo divina, et humana natura prædicantur, tamen distinguenda est ratio sub qua divina prædicantur, a ratione qua de eo humana dicuntur. Tota intentio S. Thomæ in hoc articulo est affirmare, quod

sit inter naturam divinam, et humanam communicatio idiomatum, et ut melius intelligatur sit

## DUBIUM UNICUM,

UTRUM REVERA COMMUNICATIO IDIOMATUM NATURÆ DIVINÆ, ET HUMANÆ REPERIATUR IN CHRISTO?

III. Primo arguitur pro parte negativa: Nam prædicata divina, aut dicuntur de homine ratione alicujus doni accidentalis, aut immediate per se ipsa; neutrum dici potest; ergo. Probatur antecedens quoad primam partem, quia si illud verum esset, sequeretur unionem hypostaticam esse accidentalem, cujus oppositum diximus esse de fide supra quæstione II, articulo VI: quoad secundam vero partem probatur, quia attributa divina solum possunt dici formaliter de Deo in divina natura; ergo si non ponitur donum aliquod accidentale in humanitate, ut sit communicatio proprietatum, impossibile erit, ea quæ Dei sunt dici de homine.

IV. Secundo, quia si solum ratione unionis hypostaticæ datur talis communicatio idiomatum, sequitur quod etiam in triduo mortis Christi fuerit idiomatum communicatio inter divinitatem, et corpus Christi; consequens dici non potest; ergo nec antecedens. Sequela probatur, nam etiam corpus Christi in illo triduo erat unitum divinitati, ut docet fides. Quod vero consequens sit falsum probatur, quia corpus illud non poterat dici sapiens, aut justum, nec Deus dici poterat pars humanæ naturæ.

V. Tertio: Nam multæ sunt proprietates humanæ naturæ, quæ dici nequeunt de Filio Dei; ergo non est in Christo communicatio idiomatum. Antecedens probatur, nam una ex

proprietas naturæ humanæ est, quod sit mutabilis; de Deo autem hæc prædicari non potest, cum mutabilitas sit omnino repugnans Deo; ergo hæc propositio erit falsa: Deus est mutabilis, aut: Christus est mutabilis, atque adeo non erit idiomatum communicatio.

VI. Quarto: Hæc propositio est falsa: Deus est mortuus; ergo non est communicatio idiomatum. Probatur antecedens, nam si esset vera, etiam verificaretur hæc; Deus mutatur; consequens est impossibile; ergo et antecedens. Probatur sequela, quia mori est mutari de esse ad non esse; ergo si non potest dici de Deo, quod sit mutabilis, nec etiam dici poterit quod sit mortuus.

VII. Quinto: Si talis communicatio idiomatum reperiretur in Christo, de illo verificarentur contradictoria; consequens est impossibile; ergo et antecedens. Sequela probatur, nam de Deo verificari poterit, quod sit vivens, cum sit summa vita; et etiam verificari poterit, quod sit non vivens, cum amiserit vitam humanam; vivens autem, et non vivens sunt contradictorii termini, cum non vivens omnino neget vitam. Item dici posset Christus corporeus, et incorporeus, quod negat S. Thomas infra articulo VIII ad secundum.

VIII. Pro resolutione sit prima conclusio: Fides expressa est, quod ex mysterio incarnationis inter Deum, et hominem secuta fuerit vera, et propria communicatio idiomatum. Hæc autem idiomatum communicatio optime explicatur a magistro Cabrera in principio commentarii, videlicet, quod non consistit in reali communicatione attributorum divinarum facta humanitati, nec in reali communicatione prædicatorum humanitatis facta ipsi divinitati, seu in unione naturarum, et proprietatum inter se, sed in eo

quod propter unionem hypostaticam vere, et proprie prædicata divina, et humana in concreto sumpta prædicantur de eodem supposito, et mutuo inter sese. Sic definitum est in multis Conciliis, et est communis confessio sanctorum patrum, ut constat ex Suarez disp. XXXV, sect. I. Latius autem ista conclusio probatur a magistro Cabrera in commentario hujus articuli, statim in principio.

IX. Secunda conclusio: Quidquid essentialiter convenit Deo, et omne attributum, quod de illo dicitur, et quidquid personaliter prædicatur de Filio Dei, prædicatur etiam simpliciter, et absolute de hoc homine Christo, dummodo sit sine reduplicatione humanitatis. Hæc conclusio ponitur ad majorem explicationem præcedentis, et probatur exemplis. Nam de Christo dicitur, quod est Deus, quod est æternus, quod est sapiens, imo quod est genitus a Patre, quod pertinet ad prædicata personalia: falsas autem esse omnes has prædicationes, si ponamus reduplicationem in quantum homo, quisque videbit.

X. Tertia conclusio: De Filio Dei prædicatur homo, et quidquid essentialiter convenit homini, dummodo sit sine reduplicatione in quantum Deus, aut ratione deitatis. Hæc conclusio eadem ratione probatur, atque præcedens.

XI. Quarta: De Deo, aut de Christo non possunt prædicari absolute prædicata illa, quæ homini conveniunt cum quadam appellatione formali, aut virtuali ad humanam naturam. Pro hac conclusione facit tertium argumentum positum a principio, et breviter probatur, nam si, verbi gratia, dicamus: Deus est mutabilis, aut Christus est mutabilis, in tali propositione est appellatio virtualis illius modi mutabilitatis, qui est proprius naturæ humanæ, et applicatur subjecto, quod est Deus,

ut supposito Filii Dei, quando dicitur: Christus est mutabilis; ergo sunt falsæ tales propositiones, et aliæ similes.

XII. Quinta: De Christo Domino ratione duarum naturarum divinæ scilicet, et humanæ prædicari possunt opposita privative, non tamen opposita contradictorie. Hæc probatur exemplis, nam de Christo dicitur quod est vivens, et quod est mortuus, et etiam de Deo isti termini verificantur: Deus est vivens, et: Deus est mortuus, eo quod privative tantum opponuntur; non autem dici potest: Deus est vivens, et non vivens, aut: Christus est vivens, et non vivens, quia isti termini cum opponuntur contradictorie ratione illius negationis, quæ ponitur in secundo termino; et sic ly mortuus dicit negationem vitæ, scilicet alicujus vitæ absentiam, sed non vivens distributive, id est, omnis vitæ absentiam, et fit sensus, quod Deus, aut Christus est nullam vitam habens, neque divinam, neque humanam, quod falsissimum est; mortuum autem solum negat vitam humanam pro aliquo determinato tempore.

XIII. Nec valet argumentum contra hoc, videlicet, mors est privatio vitæ, et consequenter negatio ejus in subjecto apto nato; ergo ea ratione qua Christus dicitur mortuus ratione humanitatis, poterit etiam dici non vivens pro aliquo determinato tempore.

XIV. Hoc inquam non valet, quia est magna disparitas, quamvis enim mortuum dicat privationem vitæ, et consequenter negationem in subjecto apto, non tamen dicit absolutam negationem, sed solum determinatam, videlicet humanæ vitæ, quam exprimit ly mortuum pro tempore determinato, in quo sensu negatur de Christo vita humana pro aliquo tempore, quod est verum. At ly non vivens ex modo suæ signifi-

cationis negat omnem vitam, et etiam pro semper, atque adeo verificari nequit de Deo, aut de Christo.

XV. Quod aliqua prædicata per communicationem idiomatum de Deo dici non possint, ad quatuor genera, seu classes reducuntur, scilicet, vel quia sunt repugnantia ad subjectum; vel quia sunt ambigua, et conveniunt cum modo loquendi hæreticorum, aut indifferentia, scilicet, quæ naturæ, et supposito convenire possunt indifferenter, et cum hoc supposito, scilicet divino stare non possunt; vel quia importat appellationem propter quam supposito non conveniunt, aut tollunt eam ratione cujus conveniunt; aut denique, quia extrahunt subjectum a ratione unionis media qua solum potest communicatio intervenire, et hoc vel ratione modi prædicandi, ut quando abstractum de abstracto, etc. aut ratione prædicati, quod non convenit supposito divino, sed naturæ ut ab eo distinguitur.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVI. Ad primum in principio respondetur, quod prædicata divina communicantur homini, non ratione alicujus doni accidentalis de novo communicati humanitati, nec quia ei secundum se convenient immediate, sed ratione unionis hypostaticæ, qua subsistit divina Persona in duabus, et ex duabus naturis divinæ scilicet, et humanæ ad modum explicatum in nostra prima conclusione.

XVII. Ad secundum respondetur negando sequelam, et ad probationem dico disparem esse rationem in triduo, et extra triduum, quia corpus solum est pars humanæ naturæ, atque adeo de supposito divino dici non poterant quæ sunt corporis, neque de corpore ea quæ sunt

Dei, videlicet sapiens, aut justus, quia talium prædicationum est incapax ratione dicta.

XVIII. Ad tertium respondetur juxta doctrinam quartæ conclusionis. Quando enim prædicata dicunt aliquam appellationem formalem, aut virtuales naturæ humanæ convenientem, non possunt dici de Deo, aut de Christo, sine reduplicatione naturæ humanæ, et talis est illa prædicatio mutabilis, quæ cum applicetur supposito divino in illa propositione: Christus est mirabilis, falsa redditur.

XIX. Ad quartum respondetur negando antecedens; ad probationem autem dico disparem esse rationem harum propositionum: Deus est mortuus, et Deus mutatur, aut est mutabilis, ratione diversi modi significandi terminorum, qui ponuntur a parte prædicati; illud enim prædicatum mortuus, denotat mutationem factam in natura humana secundum quam Deus amisit vitam hominis, et ideo verificari potest de Deo homine; aliud autem prædicatum mutatus, ratione suæ significationis denotat mutationem factam in supposito divino, cui applicatur in hac propositione: Deus est mutatus, atque adeo est falsa.

XX. Ad quintum jam diximus in quinta conclusione, quod contradictoria non possunt prædicari de Christo, bene tamen opposita privative, atque hæc propositio est vera: Deus est mortuus, hæc vero falsa: Deus est non vivens, quia ly non vivens, negat omnem vitam, tam divinam, quam humanam, ut ibi late diximus. Ille autem prædicata, videlicet corporeum, et incorporeum ex doctrina S. Thomæ in articulo octavo hujus quæstionis, solutione ad secundum non debent dici de Christo sine determinatione ratione ambiguitatis, suppositis erroribus hæreticorum: quare quando dicitur: Christus est

incorporeus, quamvis non habere corpus conveniat illi ratione divinitatis, debet distingui, scilicet ratione deitatis, ne conveniamus cum hæreticis Manichæis asserentibus, quod Christus non habet verum corpus. Et similiter quamvis esse corporeum conveniat Christo ratione humanitatis, quando dicitur: Christus est corporeus, etiam debet distingui, scilicet ratione humanitatis, ne in modo loquendi conveniamus cum aliis hæreticis asserentibus Deum in se corporeum esse.

## ARTICULUS V.

*Utrum ea, quæ conveniunt Filio hominis possint prædicari de divina natura; et de humana ea quæ conveniunt Filio Dei?*

I. Prima conclusio: In Christo, quæ sunt unius naturæ, non possunt de altera prædicari, ut in abstracto significantur.

II. Secunda conclusio: Nomina concreta, quæ ad utramque naturam pertinent, indifferenter possunt prædicari de nominibus concretis, sive nomen de quo dicuntur utramque naturam significet ut nomen Christus, sive solam naturam humanam ut Jesus, vel Filius Dei; suppositis his, quæ præcedenti articulo diximus de communicatione idiomatum, solum restat in præsentem inquirere de veritate primæ conclusionis: nam quidquid circa secundam occurrere potest, ex supra dictis planum erit. Sit ergo

## DUBIUM UNICUM,

UTRUM EA, QUÆ SUNT UNIUS NATURÆ POSSINT PRÆDICARI DE ALTERA IN ABSTRACTO?

III. Pars affirmativa probatur. Primo, ex multis sanctis patribus, præ-

cipue ex S. Augustino libro de fide ad Petrum, cap. II, et ex sexta Synodo generali actione XI, et ex decretis Martini I, canone V, et ex D. Gregorio Nazianzeno oratione XLII. Qui sancti patres asserunt hanc propositionem: Deitas, aut: Essentia divina est incarnata, est concepta ex Virgine, aut: Nata; ergo eadem ratione dici poterit: Deitas est homo, aut: Deitas est mortua.

IV. Secundo arguitur: Nam hæc propositio est vera: Christus est humanitas, et divinitas simul sumptæ; ergo illa abstracta prædicari possunt de concretis. Consequentia est nota, et antecedens probatur, quia Christus est Persona composita ex duabus illis naturis; sed omne compositum est suæ partes simul sumptæ; ergo illa propositio erit vera: Christus est humanitas, et divinitas simul sumptæ.

V. Tertio, hæc est vera: Christus est deitas; ergo abstracta prædicari possunt. Consequentia probatur, quia bene sequitur: Filius Dei est deitas, sed: Filius Dei est Filius hominis; ergo Filius hominis est deitas, et consequenter sua æquivalens etiam vera: Homo est deitas.

VI. Prima conclusio: Natura divina nequit prædicari de natura humana in abstracto, nec e converso, ita ut dicatur: Humanitas est deitas, aut: Divinitas est humanitas. Hæc conclusio est de fide, et aperte probatur, quia in mysterio incarnationis simul cum unitate Personæ remanet distinctio naturarum, absque conclusione, aut permixtione, ut late probavit de fide S. Thomas supra quæst. II, art. I; sed in illis propositionibus formaliter importatur confusio, permixtio, et indistinctio naturarum, cum ex S. Thoma in corpore hujus articuli habeamus, quod non potest aliquid prædicatum dici de subjecto, nisi sit idem cum illo; ergo secundum fidem pro-

positiones illæ, in quibus divinitas de humanitate prædicatur, aut e converso, falsæ erunt.

VII. Secunda conclusio: De divinitate in abstracto nequit prædicari homo, aut ejus proprietates; atque adeo istæ sunt falsæ: Divinitas est passibilis, aut: Mortalis. Probatur conclusio, quia istæ prædicationes etiam denotant indistinctionem naturarum inter se, cujus oppositum catholica fides docet; ergo sunt falsæ. Ex his conclusionibus sequitur etiam istam propositionem esse falsam: Humanitas est Deus, aut: Humanitas est immortalis, aut: Æterna, atque eodem modo ac suppositas repugnare fidei, commune est inter theologos.

VIII. Solum superest difficultas inter ipsos circa hanc propositionem: Homo est deitas, seu divinitas, nam quamvis in vero sensu concedatur a multis, præcipue a magistro Medina hic regula tertia, tamen est dissensio, an solum sit vera in sensu identico; an vero etiam in sensu formali. Pro luce tamen hujus advertendum est, quod hæc differentia inter subjectum, et prædicatum in propositionibus, quod prædicatum dicit formam subjecti, et importat illam, quia afficit subjectum; at subjectum habet se ut materia respectu prædicati: ex quo oritur, quod proprium sit subjecti supponere pro materiali, et proprium sit prædicati supponere pro formali.

IX. Deinde considerandum est, quod etiam subjectum aliquando supponit pro significato formali, quandoque vero pro materiali tantum, ut patet in his propositionibus, quando enim dicimus: Album currit, ly album non supponit pro formali, sed solum pro materiali, cujus ratione convenit cursu. Quando vero dicimus: Album est disgregativum visus, ly album non supponit solum pro materiali, sed principa-